



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Quæstiuncula, quodnam sit objectum Isagoges Porphyrianæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

bonitatem esse ex proprietate ipsius Dei, & sapientiam & bonitatem objective differre: nam sapientiam & bonitatem differre objective in Deo, est 1^o pluralitatem rei, pluralitati sapientiae & bonitatis respondere; est aliquam diversitatem aut multipliciter ponere in re, quae Deus est; non est sic Deum praecise illis respondere, ut de Deo verè dicatur; quae continuo reprehendit D. Thomas, ut paulò ante ostendimus. 2^o est differentiam sapientiae & bonitatis in Deo esse, & non solum in intellectu creato, quod S. Thomas Opusc. 9^o q. 1. calumnià vocat, inquires, Calumniosè autem contra hæc (puta quae praemiserat, scil. sapientiam & bonitatem distingui ratione) obicitur, quod ipsa differentia sapientiae & bonitatis in Deo sit, & non solum in intellectu creato: & paulò infra q. 2^a. Rationes quibus attributa differunt, fundantur in intellectu nostro, quia sunt in eo sicut in subiecto (infero, ergo sunt solæ cognitiones; quod confirmatur sequentibus verbis) fundantur autem super rem (quod idem est ac illas esse ex proprietate ipsius Dei) quia sunt similitudines representantes Divinam Essentiam. Rationem verò, quæ sapientia & bonitas differunt, esse ex proprietate ipsius Dei, intelligi potest dupliciter. 1^o sic ut ipsa sit ex proprietate ipsius Dei in se sapientis & boni, praescindendo ab eo quod talis nominetur, manifestetur, &c. & hoc sensu non est, differentiam esse objective in Deo, sed plenam & simplicem sine pluralitate Dei perfectionem isti rationi, quæ differunt, sive diversis attributorum conceptibus respondere, ut supra citata loca demonstrant. 2^o sic ut ipsa sit ex proprietate ipsius Dei, quæ sapiens nominatur, manifestatur, &c. propter effectus sapientiae & bonitatis, quos extrà producit, juxta Art. 3^{um} ad 1^{um} in 1^a sent. dist. 2. q. 2. Secundum diversas bonitates, quas creaturis influit Deus, nominatur, manifestatur & laudatur. Et hoc etiam sensu, non est differentiam esse objective in Deo secundum se sumpto, sed comparative tantum ad diversos effectus, quod non est, tam Deum objective in se & attributa ab invicem objective differre, quàm ipsos effectus objective & realiter differre, de quibus nulla contentio: alio autem sensu ibi non loquitur D. Thomas.

CCLVI. Confirmatur 1^o ex iis, quæ infra eadē dist. & Art. habet: Qui ergo dixerunt quod pluralitas ista est tantum ex parte intellectus nostri, vel ex parte effectuum, quodammodo verum dixerunt, & quodammodo non. Si enim hoc

referatur ad causam multiplicationis, sic verum dicant, quod est ex parte intellectus nostri, & effectuum quodammodo, ex eo quod intellectus noster non potest concipere divinam Perfectionem unâ conceptione, sed pluribus; cuius una ratio est ex hoc, quod est assuetus ad res creatas. Si autem referatur ad modum quo istae rationes attribuntur Deo, falsum dicunt. Non enim ex hoc, quod bona facit, vel quia ad modum bonorum se habet, bonus est. Vbi vides sententiam istam à D. Thoma rejici, non quia praecisiones objectivas, & plures objectivas formalitates ex parte Dei obiecti negat; sed quia non sic istas attributorum rationes ad Deum refert, ut Deo antecedenter ad effectus eis correspondentes conveniant; conveniunt autem, licet sint unum objective cum Deo, ut supra ostendimus in ente.

CCLVII. Confirmatur 2^o ex iis quæ ibidem habet in Solutionib. Arg. 3^a, 4^a & 5^a ad 3^{um} enim ostendit multipliciter attributorum non aliter in Deo poni, quàm sic ut Deus secundum simplicem perfectionem multitudini eorum respondeat. ad 4. & 5. probat rationes attributorum esse in intellectu tanquam subiecto, & in Deo, tanquam in eo à quo habent finitatem suam veritatis, seu de Deo verificationis; nec aliter satisfaciunt objectionibus probantibus pluralitatem Dei attributorum esse in intellectu tantum: atqui dicendo 1^o Deum esse intrinsecè objective indivisibiliter sapientem, bonum, &c. secundum simplicem perfectionem multitudini attributorum correspondet, & illa sunt in Deo tanquam eo à quo habent finitatem suam veritatis seu de Deo verificationis: & dicendo 2^o multitudinem illam se tenere ex parte solius intellectus, sunt in intellectu tanquam subiecto, & sunt in intellectu tantum, quod adversarius concedit D. Thom. eo, quod 1^o supposito; quod revera est illam attributorum multitudinem sive distinctionem esse formalem tantum, & nullo modo objectivam aut formalem ex natura rei: ergo omnino à nobis stat D. Thomas. Probatur consequentia, quia utrumque illud docemus, & praeterea nihil. Sed de his, pluribus 1^a parte, Deo dante, agemus: sufficiunt enim, ut ostendamus contra P. Comptonum doctrinam nostram, non tantum ex angelis quibusdam Operum D. Thomae erui; sed ex certis, & ab omnibus pro S. Doctoris libris admissis. Loca autem quæ pro se addfert ex 1^a parte, solum convincunt, D. Thomam docuisse dari praecisiones ex parte actus, non verò ex parte obiecti, quorum 1^{um} profitetur, 2^{um} refellimus.

TRACTATUS II.

De Porphyrianis Universalibus.

1. **P**ORPHYRIUS natione Phoenix, sed patria Iudæus, juxta Baroniū, ex Christiano factus magus, & à vera fide apostata, ad praedicamenta Isagogen ex Universalibus struxit, quæ cum utilis sit, nec ullibi sanæ fidei contraria, ut in scholis prælegatur S. Rom. Ecclesia indulgit.

QVÆSTIVNCVLA.

Quodnam sit Obiectum Isagoges Porphyrianae.

Antè Resolutionem
II. Suppono Universale posse sumi dupliciter pro suis inferioribus; 1^o simpliciter ut cum dicitur genus est Universale, id est, conceptum conceptum

communi sibi, speciei, &c. 2^o personaliter, ut cum genus, species, &c. definiuntur, unum, &c.

II. Ratio suppositi est, quia illis convenit concipi dependentem, definiri independentem ab intellectu; non quidem producere, & ut quo Universalis faciente; quia dicunt pro forma actus intellectus; sed per actum ab illis distinctum reflectere, & ut quod universalis faciente,

cante, quomodo universale sumitur in hac propositione; *Vniversale est quadruplex*; vel *Vniversale est existens independenter à 2^a intentione formali*. His suppositis sit

RESOLUTIO I.

IV. **D**ico 1^o. objectum materiale Isagoges Porphyrianæ est Vniversale simpliciter & personaliter sumptum pro suis inferioribus.

v. Probatur 1^a pars conclusionis. Id omne, de quo per se & principaliter in Isagoge tractatur, est objectum materiale Isagoges; sed in illa per se & principaliter tractatur de Vniversali simpliciter sumpto, ergo, &c.

vi. Probatur minor 1^o. quia in illa per se & principaliter tractatur de genere, specie, differentia, &c. ad quæ Vniversale simpliciter sumptum se habet instar partis ad totum, sive ut genus definiti; sed totum non distinguitur à partibus, ergo etiam in illa per se & principaliter tractatur de Vniversali simpliciter sumpto.

vii. Confirmatur, quia tota definitio Vniversalis simpliciter sumpti ingreditur definitionem generis, speciei, differentie, &c. de quibus continuus per se & principaliter est sermo in Isagoge, ergo, &c.

viii. Probatur minor 2^o. Porphyrius cap. 2^o de genere sic habet, *Eorum quæ prædicantur, alia de uno solo dicuntur, ut individua: alia de pluribus prædicantur: subsumo, sed prædicari de pluribus ibi sistendo, non est definitio Vniversalis personaliter sumpti, sive generis, speciei, differentie, &c. secundum ea, quæ habent independenter ab intellectu; & est definitio Vniversalis simpliciter sumpti, sive generis, speciei differentie, &c. secundum ea, quæ habent dependenter ab intellectu, id est, tam confusè conceptorum, ut appareant unum sub conceptu; ergo in Isagoge per se & principaliter tractatur de Vniversali simpliciter sumpto pro suis inferioribus.*

ix. Dixi per se & principaliter, ut excludam individuum & speciem subijcibilem ut talem, à ratione materialis objecti Isagoges; quia de illis in Isagoge non nisi minùs principaliter & per accedens tractatur, in quantum sunt subiecta Prædicabilem, & utilia ad cognitionem eorum.

x. Probatur 2^a pars, quia in Isagoge ubique definitur & tractatur de universali personaliter sumpto pro suis inferioribus, sive genere, specie, &c. secundum ea, quæ habent independenter ab intellectu, ergo, &c.

xi. Dices fortè, genus, species, &c. non sunt significata Vniversalis independenter ab intellectu; sed significatum Vniversalis personaliter sumpti pro suis inferioribus debet esse independenter ab intellectu, ergo licet in Isagoge ubique definiatur, & tractetur

de genere, specie, &c. non ideo tamen in ea tractatur de Vniversali personaliter sumpto. Pro solutione

xii. Nota dari posse tertias & quartas intentiones formales; nam sicut 2^a intentio formalis, ideo talis dicitur, quia est reflexiva supra 1^{am} formalem; ita 3^a formalis dicitur illa, quæ est reflexiva supra secundam; 4^a quæ supra tertiam: idem die proportionaliter de objectiva. Ad vitandam tamen confusionem oriundam ex tali multiplicitate intentionum, non solent Philosophi uti nominibus tertiarum, quarum, &c. intentionis; sed tantum primarum & secundarum; quia scilicet 1^a & 2^a intentio terminans ulteriorem conceptum, eodem modo se habet, ac alia natura realis terminans conceptum: sicut enim hæc terminans conceptum secundum ea, quæ habet dependenter à conceptu à se distincto, dicitur 2^a intentio objectiva; ita genus, Vniversale & qualibet intentio terminans conceptum secundum ea, quæ habet dependenter à conceptu à se distincto, dicitur 2^a intentio objectiva: è contrà verò sicut natura realis terminans conceptum secundum ea, quæ habet independenter à conceptu à se distincto, dicitur 1^a intentio objectiva; ita genus, Vniversale, & qualibet intentio terminans conceptum secundum ea, quæ habet independenter à conceptu à se distincto, dicitur 1^a objectiva. Hoc notato

xiii. Respondeo negando antecedens; per intellectum enim in definitionibus Suppositionum simplicis & personalis positum intelligitur conceptus distinctus à re, quæ ita supponi dicitur: genus verò, species, &c. licet non sint independenter ab intellectu producente; sumpta tamen secundum proprias definitiones verè sunt independenter à conceptu à se distincto, & ulteriori; unde sunt 1^æ intentiones objectivæ respectu ulterioris conceptus, licet materialiter sint 2^æ objectivæ, quatenus in se continent 1^{am} intentionem formalem.

RESOLUTIO II.

xiv. **D**ico 2^o. objectum formale quo Isagoges est ipsa prædicabilitas.

xv. Probatur, quia objectum formale est ratio sub qua objectum materiale consideratur; sed Vniversale, tam simpliciter, quàm personaliter acceptum, consideratur sub ratione prædicabilis, ut vel ex ipsis ejus definitionibus constat; ergo, &c.

RESOLUTIO III.

xvi. **D**ico 3^o. Objectum totale & adequatum Isagoges est Vniversale simpliciter & personaliter acceptum, ut prædicabile.

xvii. Probatur, quia objectum totale & adequatum constari debet ex materiali & formali sub quo; sed illud ex utroque constatur; ergo, &c.

DISPUTATIO PRIMA

De Vniversali in genere.

DUBIUM I.

Quid Vniversale in genere, & quotuplex.

RESOLUTIO I.

xviii. **D**ico 1^o. Vniversale in genere est unum & multa, sive unum dicens ordinem ad multa. Ita omnes communiter; ut homo respectu Petri & Pauli: undè quot modis aliquid est unum multa, sive unum dicens ordinem ad multa, tot modis est Vniversale.

RESOLUTIO II.

xix. **D**ico 2^o. Vniversale in genere est quadruplex: in causando scilicet, significando, representando, & prædicando: in causando est causa productiva multorum effectuum: in significando est signum significativum multorum effectuum: in representando est actus unus intellectus representativus multorum entium: verum cum hæc non sint Vniversalia ad mentem Philosophorum, prout scilicet Vniversale opponitur singulari,